

Ob 12

1880. 2.



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXX.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROFESSORIS LIC. JULII MARQUARDT COMMENTATIO: S. CYRILLUS  
HIEROSOLYMITANUS QUID DE CONTENTIONIBUS ET PLACITIS ARIANORUM SENSERIT.  
PARTICULA I.

BRUNSBURGAE, 1880.

TYPIS HEYNEANIS.



INDEX LECTIIONUM

LYCEI REGII HOSIANI B.M. BERGERSI

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D R. J O S. B E N D E R,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIAZNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU



1943:202



LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
R E C T O R E T S E N A T U S  
C I V I B U S S U I S

S.

Mirari vos opinor, commilitones humanissimi, quid sit, quod a proposita vobis in indice lectionum per hiemem MDCCCLXXVII institutarum materia declinaverim et aliud prorsus ac tum promissum ex catechesibus s. Cyrilli dogma nunc eruendum statuerim. Quam enim ibi illustrare coepi catechetæ Hierosolymitani de baptismo, chrismate, eucharistia doctrinam quum commentatione una certisque terminis circumscripta minima ex parte absolvere possem, reliquas particulas me vobis eadem opportunitate suo tempore redeunte exhibiturum esse promisi, ut quod hoc loco aggressus essem, eodem loco perficerem. Numquid fortasse a proposito deflexi? An animus viresque ceciderunt in mysteriis illis tam gravibus tractandis? Absit utrumque. Immo potius id, quod peculiari amore institui, sanctissimarum rerum studium et retinui totaque mente colui; sed quo diutius in eo versatus sum, eo magis magisque adductus sum, ut illa, quæ initio singulis iisdemque disjunctis commentationibus tractanda proposueram Cyrillo interprete mysteria, denique digna esse putarem, de quibus solidum et continens opusculum componerem. Quod quum statutum habeam cum animo et deliberatum quumque libellum, temporibus quidem remissum et intermissum, tamen brevi me ad finem perducturum esse sperem, retuli me ad aliud doctrinæ Cyrillianæ caput, quod quale sit, jam titulus hujus indicis aperuit. Hoc ipsum ut eligerem, facile animum movit illorum temporum, quorum Cyrillus aequalis fuit, condicio.

Quisquis enim historiam ecclesiasticam vel celeriter percurrerit, non poterit ignorare, iisdem temporibus, quibus Cyrillus presbyter mandatu Maximi episcopi munere catechetico fungebatur (c. 347 s. 348), ecclesiam procellis tam vehementibus esse jactatam, quibus haud scio an nunquam eam turbaverint vehementiores. Ario quidem hæretico cum episcopis ei addictis a patribus concilii Nicaeni (325) damnato et vera de trinitate doctrina accuratissime definita, tamen tantum aberat, ut ecclesia a tempestatibus conquiesceret et exoptatâ pace frueretur, ut nunc ii, qui Ario et impiæ ejus causæ favebant, cujusvis factionis socii Eusebio utroque quum Caesariensi tum vero maxime Nicomediensi duce cum Arianis adversus Athanasium et Eustathium ceterosque, qui illa ætate exstiterunt, consubstantialitatis propugnatores tum palam et aperte starent, tum dolis atque artibus, quæcumque reperire possent, moverent causas et calumnias. Quibus quum plus justo faciles ab imperatoribus præberentur aures, depositione, exsilio, aliis poenis orthodoxi vexantur episcopi, ipsisque in urbibus, ubi novi in pulsorum sedes vi et armis subrogantur episcopi hæretici aut veteres catholici principum favore vel auctoritate conciliorum pulsus illis pristinas sedes recuperant, domesticae oriuntur seditiones. Quousque



tristissimum hoc episcoporum discidium pervenerat, id magna cum offensione populi christiani manifesto apparuit in synodo Sardicensi paucis annis ante, quam Cyrillus catecheses habuit, utriusque imperatoris et occidentis et orientis consensu convocata (343—344). Ubi quum Eusebiani catholicos et numero et auctoritate superiores invenissent, turbulenta fuga Philippopolim se receperunt ad proprium concilium celebrandum, ita ut jam duo concilia existerent, quae mutuo anathemate se inquinarent literisque synodicis ad omnes orbis episcopos datis gravissima alterum alteri crimina inferrent: Sardicenses Philippopolitanos haeresis Arianæ, Philippopolitani Sardicenses Sabellianæ, factarum caedium et turbarum utriusque alteros condemnant. Auxit praeterea et aluit has tempestates et contentiones duplex illa, quae tum temporis maxime animos movit et excitavit, de vocibus *ὁμοούσιος* et *ὑπόστασις* controversia.

Quid his de turbis et controversiis Cyrillus cogitaverit quasve partes secutus sit, operae pretium duximus diligentius examinare; tantoque religiosius et accuratius haec quaestio nobis exequenda esse videtur, quanto minus et veteres et recentiores de ea scripserunt congruentia. Alii enim Cyrillum inde ab initio justam synodi Nicaenae, Athanasii, ceterorum ecclesiae defensorum causam amplexum esse<sup>1)</sup>, alii impia adversariorum studia et placita probasse vel saltem nonnunquam in utramque partem vacillasse<sup>2)</sup>, alii primum neutri parti se adjunxisse, postea ad catholicos transiisse<sup>3)</sup> referunt. — Quo melius rem illustrem, ita disponam et absolvam, ut primum quid de tempestatibus et contentionibus ecclesiasticis in universum senserit, deinde quid de trinitate et praesertim de divinitate filii (et spiritus s.) tum maxime disceptata docuerit, accuratius exponam.

## Caput primum.

### S. Cyrilli de contentionibus Arianorum sententia.

1. Quum Cyrillus eo tempore, quo catecheses dixit, novus esset presbyter triginta fere annorum a Maximo praesule ordinatus eidemque ita probatus, ut ad catechumenos, qui proxime abessent ab initiatione, ei liceret orationes habere catecheticas, jam par est expectare, eum non propriam, sed quam a Maximo episcopo accepit quamque in ecclesia Hierosolymitana et tota fere Palaestina communem invenit de rebus ecclesiasticis sententiam secutum esse et in catechesibus aperuisse. Quis enim crediderit, juvenem presbyterum, cujus fidei episcopus maximum illud catechetæ munus manda-

<sup>1)</sup> Theodoret. H. E. II. 26: „*Κύριλλος . . . τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων προθύμως ὑπερμαχῶν.*“ — Theophanes, Chronogr. p. 34. Ed. Par. 1655 (Ed. J. Classen I, 62). — Nicephorus Callistus, H. E. IX, 46: „*Κύριλλος τοῖς τῷ ὁμοουσίῳ σοιχοῦσιν ἐξ ἀρχῆς ἐτίπετο.*“ — Tillemont (à Bruxelles 1732) p. 343: „Les écrits, que nous avons de s. Cyrille, le justifient tout à fait.“

<sup>2)</sup> Hieronymus in Chronico ad annum 349 (p. 183), qui quidem nostra aera numerandus est 350: „Post quem (sc. Maximum) ecclesiam Ariani invadunt, i. e. Cyrillus, Eutychius, rursus Cyrillus“ etc. — Rufinus, H. E. I, 23: „Hierosolymis Cyrillus post Maximum aliquando in fide, saepius in communione variabat.“ — Socrates, H. E. V, 8: „*Συνῆλθον οὖν* (sc. ad concilium Constant. 381—382) *τῆς μὲν ὁμοουσίῳ πίστεως, ἐκ μὲν Ἀλεξανδρείας Τιμόθεος, ἐκ δὲ Ἱεροσολύμων Κύριλλος, τότε ἐκ μεταμελείας τῷ ὁμοουσίῳ προσκείμενος.*“ Idem narrat Sozomenus H. E. VII, 7. — Müllerscher, Dogm. Gesch. 3. Aufl. I, p. 217: „Andere, wie Cyrillus v. Jerus., wollten wenigstens das Wort *ὁμοούσιος* nicht annehmen“; quare non dubitat, Cyrillum in Semiarianos annumerare. — Hagenbach, Lehrb. der Dogm. Gesch. I, p. 261: „Cyrill v. Jer. trat von der eusebianischen Partei zur nicäischen über.“

<sup>3)</sup> Hefele, Concil. Gesch. I. p. 712. II. 5. 39. — Schwane, Dogm. Gesch. II. p. 162 sqq.



verat, de gravissimis ecclesiae turbis et contentionibus aliter sensisse ac praesulem? Atqui Maximus Hierosolymitanus ut multi alii iidemque sancti episcopi ab Eusebianis delusus concilio Tyrio, quod Eusebiani simulato recti ordinis et pacis ecclesiasticae studio contra Athanasium coegerant (a. 335), cum reliquis Palaestinae episcopis interfuit. Teste enim Rufino<sup>4)</sup> in hoc concilio evenit, ut Paphnutius Aegyptius, quum Maximum ibi inter adversarios Athanasii vidisset pro nimia sua simplicitate nihil fraudis et vitii de iis suspicantem, prehensum manu e consessu duxerit et singulis de rebus melius institutum perpetua communione cum Athanasio sociaverit. Idem post decretam et pronuntiatam in synodo Athanasii damnationem factum esse, narrat Sozomenus<sup>5)</sup> neque obscure indicat, Maximum illam improbasse; de conciliata autem ab eo cum Athanasio amicitia tacet. Quibus in synodo Tyria actis, quum Maximus et ceteri, qui ibi fuerant, episcopi Hierosolyma se conferrent concilium ad dedicationem Basilicae Resurrectionis celebraturi, quis non scire cuperet, qualem ille in hoc se concilio gesserit, ubi Eusebiani jam ausi sunt Arianos sine poenitentia in ecclesiam recipere? Utrum temerario huic et injusto facinori se opposuerit, an fieri passus sit, quod impedire non potuit, quin fieret? Quod quum utrumque incertum neque illud ab ullo scriptore traditum sit, num ei probata fuerint, quae contra Marcellum Ancyranum, fortissimum consubstantialitatis defensorem, ab Eusebianis et in Hierosolymitano<sup>6)</sup> et aliis conciliis<sup>7)</sup> decreta sunt, nolo conjecturis supplere. Quamquam magis inclinatus animus, ut arbitrer, omnia a concilio Hierosolymitano pro Arianis et contra Marcellum decreta Maximo episcopo magis minusve accepta et in ecclesia Hierosolymitana promulgata fuisse; hinc enim factum esse videtur, ut Cyrillus, optimus meo iudicio Maximi interpres, quamvis haeresim Arianam iterum atque iterum acerrime impugnet, nusquam tamen Arianos nomine appellet, Marcelli vero doctrinam, licet hujus quoque nomini parcat, non dubitet „novissimum draconis caput“ vocare, „quod in Galatia increverit“ (cat. 15, 27). Hoc autem constat, convocato ad Eneaenia ecclesiae Antiochenae concilio Maximum dedita opera abfuisse, poenitentia ductum<sup>8)</sup>, quod fraude deceptus eorum, qui Athanasium eiecerant episcopatu, sententiae suffragatus esset. Nec aliis postea sive Eusebianorum sive orthodoxorum conciliis, nec Philippopolitanae nec Sardicensi synodo interfuisse videtur.

2. Ut res se habet, illud certum videtur, Maximum cum aliis episcopis Palaestinae vel in concilio Tyrio vel postea vi compulsam aliquid in nomen Athanasii subscribendo commisisse. Refert enim Athanasius<sup>9)</sup>, quum ipse a. 349 Palaestina pertransiret, omnes hujus terrae episcopos, duobus (Acacio Caesariensi et Patrophilo Scythopolitano) vel tribus exceptis, Hierosolymis cum Maximo concilium celebrantes ita Athanasium ejusque communionem amplexos esse, ut literis se excusarent, „quod ea, quae antea scripsissent, non ex animo vereque, sed vi coacti fecissent.“ Quorum princeps fuit Maximus, cujus nomen etiam in literis, quas ad episcopos Aegyptios et ecclesiam Alexandrinam de felici reditu Athanasii et recepta a Palaestinis cum ipso gratissima communione miserunt, primo loco habetur<sup>10)</sup>. Quare Maximus etiam a Socrate<sup>11)</sup> tum „Athanasio communionem et dignitatem reddidisse“ dicitur. Eodem tempore factum esse existimo, ut iidem episcopi, numero quindecim, synodicae ad totius ecclesiae catholicae episcopos et decretorum Sardicensium fautores datae epistolae

4) H. E. I, 17.

5) L. c. II, 23.

6) Cf. Sozom. II, 27. 33. Socrat. I, 36. Rufin. I. 11. Hefele l. c. I, p. 471.

7) Sc. conciliis Constantinopoli annis 335, 338 (339), Alexandriae 339, Romae 341 habitis. Cf. Hefele l. c.

8) Sozom. III, 8. Socrat. II, 8.

9) Hist. Arian. ad mon. n. 25. opp. I. p. 355 M.

10) Athanas. apol. c. Arian. n. 57. l. c. p. 175.

11) II. 24.



subscripserint<sup>12)</sup>, id quod testimonio Socratis<sup>13)</sup> confirmari videtur, qui Maximum ait ab Athanasio de synodi Sardicensis decretis certiore factum esse. Sed ante haec tempora Maximum, nulla cum Athanasio communione publica conjunctus et Eusebianorum artes ac dolos detestatus, utriusque partis studia et concilia repudiasset et haeresium contrariarum vitiorumque, quorum pars altera alteram accusabat, fortasse de utraque aliquid suspicatus, se tamquam medium nec in alterius favorem inclinatum praebuisse videtur. Quapropter Philostorgius<sup>14)</sup> Maximum in eorum numero ponit, qui primum a consubstantialitate alieni postea ad sententiam Athanasii declinarunt.

3. Quod supra verisimillimum putavimus, presbyterum de rebus ecclesiae gravissimis iisdemque tristissimis cum praesule consensisse, id nobis re vera comprobatur. In ista enim sententia, qua Maximum fuisse scimus, fuit etiam Cyrillus. Tum de Eusebianorum dolis atque fraudibus, tum de justa partis Athanasianae causa non satis edoctus, neutri parti magis addictus, sed in utramque odii fraterni et haeresis occultae suspicionem quandam cadere ratus ipse se inter pugnantia et contraria episcoporum et ecclesiarum studia et dogmata quasi quendam medium se tenuit, auditores vero jussit iis minime perturbari, quae jam pridem Christi proximi Antichristi adventus signa praedixerit. „Si audieris“, inquit, „episcopos adversus episcopos et clericos adversus clericos et populos adversus populos ad sanguinem usque grassari, ne perturberis; praedictum enim antea est in scripturis. Ne his, quae nunc fiunt, sed iis, quae scripta sunt, animum attende (Matth. 24, 10, 12). Si in apostolis deprehensa est proditio, quid miraris, quod in episcopis quoque odium fraternum inveniatur“ (cat. 15, 7). Distracta sic et misere afflicta ecclesia, quum ipse contentiones ut qui maxime aversaretur, „schismata haec episcoporum, clericorum, nationum ab ipso diabolo praeparata“ (cat. 15, 9) et „mutuum fratrum odium“ tantopere abhorruit (cat. 15, 18), ut catechumenos non posset non admonere, ne vel ipsius magistri, si illorum particeps fieret, exemplum et auctoritatem sequerentur. „Neque enim si ego, qui te doceo, peream, tu una mecum pereas; sed fas est, auditorem magistro meliorem fieri et eum, qui novissimus venit, priorem effici“ (cat. 15, 7). — Non dubitare possumus, quin Cyrillus his locis tristissimas illas turbas et seditiones respiciat, quas inter catholicos et Eusebianos hoc tempore exortas jam supra brevi descripsimus. Damnatis enim et pulsis e sedibus suis modo hujus modo illius partis nobilissimis episcopis et aliis substitutis, non solum episcopatus, sed etiam clerus populusque christianus, alio aliunde stante, in duas partes divisus infestusque in fratres animus excitatus caedesque multae in urbibus factae sunt. — Quod autem Cyrillus in hoc discidio eorum, qui pro ordine et dogmate ecclesiastico tuendo discrimini se dederunt, justitiam et innocentiam non magis perspectam habuit, quam Eusebianorum dolos et calumnias, et utrosque, tum calumniatores ecclesiae fidem et causam oppugnantes tum defensores ecclesiae calumnias passos, uno fere loco et ordine posuit, id quidem maxime dolendum, minus tamen mirum videtur nobis, qui temporum illorum iniquitatem calamitatemque cognoverimus. An forte Cyrillo facile fuit, astutam Eusebianorum fallaciam et contortas difficilesque, quas cum orthodoxis faciebant, contentiones penitus perspicere? Licet Eusebiani Arianorum placita et studia alius magis alio probarent, tamen haeresim sub vocibus dubiis et quasi duplicibus, quae et in catholicam et in haereticam sententiam accipi possent, caute abdiderunt neque palam aperuerunt nisi post aliquot annos<sup>15)</sup>. Quapropter etiam catholicos minus de divinitate Christi defensata quam ficta Sabellianismi criminatione aut variis calumniis ad mores pertinentibus impugnabant, quas quidem tam atroces et captiosas fuisse

<sup>12)</sup> Athanas. l. c. n. 50. p. 169. Eadem enim sunt episcoporum nomina eodemque fere ordine scripta, nisi quod n. 50 deest Macrini nomen et qui n. 57 Theodorus appellatur, hic Theodosius dicitur.

<sup>13)</sup> L. c.                   <sup>14)</sup> H. E. III, 12.

<sup>15)</sup> In conc. Mediolan. a. 355 et potissimum Sirmiensi a. 357.



scimus, ut eos, in quos conferebantur, episcopos catholicos prorsus innocentes esse, nonnulli vix crediderint. Accedit, quod Cyrillus paucis ante annis utriusque concilii et Sardicensis et Philippopolitani episcopos inter se acerrimis literis et accusationibus pugnare viderat, quibus vel optimus quisque, qui rem penitus non noverat, facile offendi et ab utrisque abalienari posset. Quae tamen omnia non tantum valuerunt, ut ipse se sicut ceteri fere in oriente et Syria societati Eusebiana ipsius imperatoris gratia et auctoritate sustentatae adjungeret, sed in ea et haeresis Arianæ patrociniū et inimicum in fratres animum detestatus est.

4. Jam vero si de causa et origine ecclesiasticae hujus perturbationis quaesieris, Cyrillus vehementissima illa ecclesiarum et populorum certamina a variis et contrariis haeresibus, quas utriusque fovrent, nata existimabat. Commemorans enim vaticiniū illud spiritus sancti, „quod in novissimis diebus discedent quidam a fide“ (I Tim. 4, 1): „Hoc“, inquit, „non in praeteritis tantum, sed etiam in nostri temporis schismatis videmus, quum varius et multiplex haeticorum error deprehendatur“ (cat. 17, 33). Qualis vero ab eo intelligatur haec multiplex haeresis, id optime apparet ex cat. 15, 9, ubi generalem a fide defectionem, quam Paulus Antichristi adventui proxime antecessuram esse dixerit, jam adesse monens ita pergit: „Defecerunt homines a recta fide. Et alii quidem filio-paternitatem (*υιοπαροσίαν*) profitentur, alii vero Christum ex non exstantibus (*ἐξ οὐκ ὄντων*) ad esse perductum dicere audent. Et prius quidem conspicui erant haeretici, nunc autem tectis haeticis plena est ecclesia.“ — Duas illas haereses, quas Cyrillus hoc loco impugnat, quamvis nomina taceat, alteram esse Arianam, Sabellianam alteram, non opus est disputatione. Sed ii, qui illis se obstrinxerunt, quinam tandem fuerunt? Quod tectos et in ecclesia latentes vocat, quos supra commemoravit haeticos, argumento esse mihi videtur, eum de primis et publicis Arianis et Sabellianis non loqui. Nam Ariani haeresim palam et aperte profitentes eo tempore pauci et a concilio Nicaeno damnati exque ecclesia ejecti, licet occultum apud Eusebianos patrociniū invenirent, ab omnibus tamen communionis ecclesiasticae expertes habebantur. Eusebianos igitur hic proprie notare videtur, qui etiamtunc communionem ecclesiasticam fruebantur. Multo etiam minus Sabellianos illa aetate existisse legimus, qui aut propriam ab ecclesia divisam sectam aut occultam in ecclesia factionem constituerint. Non alios igitur filio-paternitatem in ecclesia profitentes deprehendere potuit nisi vel Marcellum Ancyranum et Photinum Sirmiensem, certos ex Cyrilli omniumque orientalium sententia haeticos<sup>16)</sup>, vel etiam, ut mihi quidem videtur, nonnullos alios catholicae partis socios, quos cum Marcello et Photino contra Eusebianos consubstantialitatem filii ita defendisse forsitan putaverit, ut a Sabellianis jam nihil differre viderentur. Certe Marcelliani ecclesiam non replebant sicut Eusebiani, nisi eos, qui Marcellum tuebantur et adjuvabant, consubstantialitatis defensores una eum illis conjunxeris. Cujus quidem sententiae Cyrillus etiam alio loco fidem facit, ubi oppositas Sabellianorum et Arianorum haereses rejiciens suam de filio dei fidem in hunc modum pronuntiat: „Deus verus est filius, habens in se ipso patrem, non in patrem mutatus; non enim pater homo factus est, sed filius; dicatur enim libere veritas“ (cat. 11, 14). Num quaeso tanta vi et libertate in oratione Cyrillo opus fuisset, si paucos tantum petiisset Marcellianos? Sed alii Sabelliani illa aetate vel nulli existere vel perquam pauci nec

<sup>16)</sup> Marcellum impugnat Cyrillus cat. 15, 27 verbis his: „Quodsi forte aliquem audieris dicentem, fore ut finem habeat Christi regnum, hanc haeresim execrare . . . Ausus est quidam dicere, post mundi finem regnaturum non esse Christum, nec pronuntiare veritas est, quod *verbum ipsum in patrem resolutum amplius non erit*“. Cf. cat. 15, 9. — Ceterum de Marcello disceptatio vix ad finem perducta est. Orientales omnes fere haeresis Sabellianae eum accusant; alii in alias sententias distrahuntur. Natalis Alexander, Montfaucon, Möhler orthodoxiam ejus tuentur; Hefele (l. c. I. p. 456) difficile esse ait, certum de eo iudicium ferre. Sed ab omni haeresis suspicione vix quisquam eum exsolverit. Vid. novas inquisitiones de Marcello a Dornero, Döllingero, Theod. Zahn, Schwane (l. c. p. 176) institutas.



timendi, nisi inter eos numerantur, qui Marcelli partes secuti hunc contra Eusebianos ab haeresi Sabelliana defendebant.

5. Ex hoc nimio metu haeresis Sabellianae, quam de illis vel de aliqua eorum parte suspicatus non minus repudiavit quam impia placita Arianorum, etiam repetendum esse existimo, quod Cyrillus iis, de quibus catholicos inter et Eusebianos maxima controversia agebatur, vocibus *ὁμοούσιος* et *ὑπόστασις* (εις) in catechesibus nondum usus est<sup>17)</sup>. Nam quamquam defensores consubstantialitatis nihil tuebantur nisi fidem catholicam a concilio Nicaeno definitam, tamen orientalibus haec vox propter varias et sinistras, quas nonnulli ei subjecerunt, sententias suspiciosa videbatur. Aliter enim jam antea eam interpretatus erat Paulus Samosatenus, aliter eam illi acceperunt, quos Hilarius scribit<sup>18)</sup> *ὁμοούσιον* magis impie quam pie dixisse, aliter Marcellus Ancyranus, qui in ea defendenda usque eo pervenerat, ut ab haeresi Sabelliana quam proxime abesse videretur. Quem quum Eusebiani in eadem causa cum Athanasio conjunctum et catholicorum gratia et auxilio sustentatum eorumque conciliis iterum ac saepius absolutum viderent, eo aptiorem ansam se nactos esse putabant ad ceteros consubstantialitatis propugnatores ejusdem haeresis accusandos<sup>19)</sup>. — Quod autem ad alteram vocem, *ὑπόστασιν* dico, attinet, Athanasius et qui ex partibus ejus erant episcopi orthodoxi illo tempore plerumque *μία* *ὑπόστασιν* in trinitate profitebantur, Eusebiani vero *τρεις* *ὑποστάσεις*. Utraque sententia, ut nemo non videt, salva fide proferri potest, *ὑπόστασις* modo illic naturam, hic personam significet; qua significatione permutata, utraque rejicienda est. Nam qui in illa *ὑπόστασιν* idem intelligi vult ac personam, non solum nullum naturae, sed ne personarum quidem numerum et discrimen in trinitate admittit; in hac qui naturam (seu essentiam, substantiam) substituit, non solum tres personas, sed etiam tres naturas proficitur, aliam substantiam alii personae attribuens. Illud a Sabellianis, hoc ab Arianis factum esse novimus: utrique duplicem hujus vocabuli vim ita in usum suum verterunt, ut, ratione verborum habita, inter prava eorum eademque contraria placita et inter fidem ecclesiasticam nihil videretur interesse<sup>20)</sup>. Nihil igitur nobis mirandum est, quod Cyrillus illas voces, quas haeretici in duas pluresve malas partes acceperunt, quamvis nusquam reprehenderit, tamen suspectas habuit neque in catechesibus ad initiandos habitis ad explicandam de trinitate fidem ecclesiasticam idoneas judicavit.

<sup>17)</sup> Insignis de hujus temporis angustiis, quae optimum tum quemque de notione vocum dogmaticarum dubium passim redderent, locus est s. Hilarii in II. de trinitate ad Constantium Augustum l. II. c. 4. 5 (Ed. Maur. p. 1227).

<sup>18)</sup> De synodis cap. 67.

<sup>19)</sup> Cf. Epist. Conc. Philipp. ap. Hil. fragm. III. p. 1314 sqq. Ed. Maur. ap. eundem Hil. de trinit. l. X. et Socrat. I, 23. Basil. epist. CXXXIX (al. X) et epist. LXIX c. 2 (al. LII).

<sup>20)</sup> Quantopere haec controversia animos excitaverit, legimus apud Basilium epist. CCXIV. (al. CCCXLIV), qui eam scribit locum dedisse schismati Antiocheno (cf. Möhler, Athanasius II. p. 237 sq). Idem unius hypostasis professione Sabellianismum ait renovari (epist. CCX al. LXIV), unam hypostasin a Sabellio et a Marcello Ancyrano dictam esse (epist. CCXIV. epist. CCLXIII al. LXXIV); quapropter non solum Epiphanium laudat, quod scripsisset, tres hypostases confitendas esse (epist. CCLVIII al. CCCXXV), sed etiam ipse cum Gregorio Nysseno eam loquendi rationem secutus est, ut *ὁνσία* de divina natura, *ὑπόστασις* de divinis personis diceretur (epist. CCXXXVI). Quam quidem sententiam ipse Athanasius et Eusebius Vercellensis aliique patres synodi Alexandrinae (a. 362) acceperunt. (cf. Athanas. tom. ad Antiochen. c. 5 et c. 11). Quamquam qui multo ante scripsit Cyrillus trium hypostasium professione abstinuit, Arianismum forte in ea latere suspicatus. — De praetermissa autem a Cyrillo in catechesibus voce *ὁμοούσιος* Theophanes (l. c.) dicit haec: „Vocem *ὁμοούσιος* plurimorum aures adhuc offendentem et adversariorum controversiis a sacro baptisate deterrituram ignaros catechumenos praeterire decebat, et notionem illius vocis vocabulis idem significantibus clarius exprimere; quod quidem a beato Cyrillo factum est, qui publicatam Nicaeae fidem ad verbum interpretatus deum verum de deo vero praedicavit“.



6. Sed de hoc satis metuoque, ne nimium putet lector. Abunde enim s. Cyrilli catechetæ de contentiōibus et controversiis ecclesiasticis sententiam eruisse et explicasse mihi videor. Nonne quod supra suspicati sumus, Cyrillum de iis sine dubio cum Maximo praesule consensisse, inquisitio nostra confirmavit? Si autem ita res se habet, ne illud quidem dubitari potest, quin Maximum episcopum a. 349 ad partes Athanasii transeuntem etiam Cyrillus presbyter secutus sit et ea, quae a synodo Hierosolymitana in Athanasii gratiam supra commemoravimus facta et decreta, ipse suo assensu vel potius sua praesentia comprobaverit. — Quod ut melius doceam, historiae sequor vestigia. Primum igitur antiqua ferebat disciplina in ecclesia Romana, Alexandrina, Antiochena servata, ut ad concilia provincialia una cum urbis, ubi concilium habebatur, episcopo ejusdem et presbyteri et diaconi admitterentur. Quod si jam ceteris licebat, quanto verisimilius Cyrillo, praestantissimo illi et primo ecclesiae Hierosolymitanae presbytero, cui episcopus vel gravissimam partem muneris sui crediderat? Idem confirmant res a Cyrillo subsequente tempore gestae. Nam uno fere vel duobus annis post (c. 350) in Maximi locum episcopus successit, ab iisdem episcopis provinciae in sede Hierosolymitana collocatus, qui in concilio Hierosolymis a. 349 habito una cum Maximo Athanasii communionem receperant neque episcopum creassent, nisi quem in gravissima causa secum conjunctum novissent. Quamquam reticere non possumus, hac ipsa de re magnam esse inter auctores dissensionem. Hieronymus et Theodoretus in hoc quidem conveniunt, quod Maximum scribunt episcopatum suum finisse morte; ille autem novum episcopum in Arianorum numero refert et Acacium Caesariensem aliosque episcopos Arianos ordinationis Cyrillianae auctores facit<sup>21)</sup>, hic vero „Maximum ad aeternam vitam translato“ Cyrillum ait „acerrimum doctrinae apostolicae propugnatores gratiam episcopalem promeruisse.“<sup>22)</sup> At Socrates et Sozomenus<sup>23)</sup> mirum narrant, Maximum expulsam et Cyrillum ab Acacio Caesariensi et Patrophilo Scythopolitano Arianis episcopum substitutum esse. Vides igitur, quam discrepantia et contraria sint, quae rerum scriptores prodiderunt. Neque tamen perdifficile videtur probatu, quorum sit ratio potior. Si auctoritatem sequimur, Socratem et Sozomenum antiquitate superat Hieronymus, gravitate autem et ecclesiasticarum Syriae rerum peritia Theodoretus. Ille enim admodum juvenis, quum parum in Syria versatus esset, quam ut ecclesiae hujus status penitus pernosceret, chronicum suum ex variis narrationibus sermonibusque vulgatis „velocissime“, ut ipse fatetur<sup>24)</sup>, composuit; qui si post aliquot annos scripsisset et praeclearissimum illud, quod infra afferemus, concilii Constantinopoli a. 382 habiti de Cyrillo testimonium legisset, certe multo aequius de hoc judicasset; atque hinc ducendum est, quod res me monet, ut quasi praeteriens perstringam, quod Hieronymus revera in catalogo scriptorum ecclesiasticorum multo post composito nec laude magna nec vituperatione Cyrillum affectit. Falli igitur facile potuit, quum Cyrillum nescio qua de causa simpliciter breviterque in Arianis numeraret, eoque certius erravit, quod virum haeresis Arianæ incusat, qui eam in catechesibus data opera refellit, in epistola autem ad Constantium initio episcopatus (a. 351 s. 352) missa<sup>25)</sup> jam *ὁμοούσιον τριάδα* professus est multasque postea ab Arianis

<sup>21)</sup> Hieron. Chronic. I. c.

<sup>22)</sup> Theodoret. I. c.

<sup>23)</sup> Socrat. II, 38. Sozom. IV, 20.

<sup>24)</sup> Cf. praef. Chronic. Opp. T. VIII. p. 3—4.

<sup>25)</sup> Qua in epistola Cyrillus „de signo lucidae crucis Hierosolymis viso, quod in coelis apparuit“, ad Constantium Augustum refert. — De laudibus, quibus Cyrillus in ea imperatorem Arianæ causae faventem ornat, jam Theophanes (I. c.) „eos falli et iudicio peccare“ censet, qui propter illas „Cyrillum Arianæ opinionis suspectum accusant. Oportebat enim, ex animi simplicitate potius quam aperto proposito Arianorum dolis in haeresim abductum imperatorem, gentilitate nondum plene abolita, *εὐσεβέστατον* nuncupare“. Accedit, quod revera „multa in Constantio erant veris laudibus digna: frenata et compressa ubique gentium idololatria et superstitio, ecclesiae opes magnis donariis auctae, immunitates maxime clericis concessae. Praeterea nondum eo tempore gravia illa in catholicos facinora designaverat . . . immo vero hoc tempore post concilium Sardicense reconciliata pax erat, Athanasio in sedem imperatoris benignitate restituto. In quo potior est conditio



indignitates et contumelias pertulit. Quod autem Hieronymus, Socrates, Sozomenus, ille quidem mortuo, hi autem expulso Maximo, Acacium et Patrophilum aliosque episcopos Arianos ecclesiae Hierosolymitanae arbitros ejusque episcopatus cui vellent permittendi dominos habent, id minime ad eam, quae ipso illo tempore fuit, ecclesiae Palaestinensis conditionem respondet. Nam Arianos episcopos in tota illa regione, qui fuerint, vix alios novimus nisi eundem Acacium et Patrophilum; reliqui enim omnes, ut supra vidimus, a. 349 ad Athanasium se adjunxerant et vel iis ipsis, quibus Acacii depositio decreta erat, literis synodiis concilii Sardicensis subscripserant.<sup>26)</sup> Alienum igitur tempus erat, quo Acacius et Patrophilus sive in concilio servata legis exteriori forma sive aperta vi et imperatoris ope Maximum expugnare potuissent. An Acacius ceteros episcopos religione obstrinxerit illa, quae modo religiosissime sanxerant, irrita faciendi? An vero sua sponte et voluntate episcopi iidem, qui justam Athanasii et orthodoxorum causam et communionem aliquamdiu omissam ex animi sententia una cum Maximo proxime amplexi erant, nunc ad Acacium et Patrophilum deficientes cum iis in ejusdem Maximi depositionem conspiraverint? Illud unum fortasse auctoribus hac de re tam inique referentibus concedere possumus, Cyrillum ab episcopis provinciae canonice creatum Acacio, improbo quidem sed legitimo metropolita, ordinationis suae usum esse ministro; in quo quid Cyrillo crimini vel fraudi sit, equidem non video. Licet enim Acacius a concilio Sardicensi exauctoratus fuisset, tamen episcopatum suum et communionem ecclesiasticam constanter retinuit et praesertim hoc tempore, quum ea, quae memoriam ejus in historia infamem reddiderunt, facinora nondum confecisset, justus ecclesiae episcopus habitus est<sup>27)</sup>. Nihilominus haec tota res difficillimos mihi habere videretur explicatus, nisi alius nobis adesset idemque locupletissimus testis, cujus auctoritatem iis quibus supra usi sumus rerum auctoribus non dubito multo superiorem opponere, concilium dico Constantinopolitanum (a. 382), cujus patres in epistola ad Damasum et occidentales missa ecclesiasticas orientis res exponentes de Cyrillo ita scribunt<sup>28)</sup>: „Τῆς δέγε μητρός ἀπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις τὸν ἀδεδεσμώτατον καὶ θεοφιλέστατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι γνωρίζομεν, κανονικῶς δὲ παρὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας χειροτονηθέντα πάλαι καὶ πλεῖστα πρὸς τοὺς Ἀρειανούς ἐν διαφόροις τόποις ἀθλήσαντα“ — quo illustrissimo amplissimoque concilii<sup>29)</sup>, quod a nonnullis inter oecumenica numeratur, testimonio cadunt omnia, quae in Cyrilli ordinationem episcopalem congeri possunt probra, praesertim quum ipse huic synodo interfuerit neque dubitari possit, quin patribus congregatis ordinationis suae rationem propter calumnias inimicorum exposuerit. — Qualis autem contra Arianos fuerit episcopus et quanta ab iis passus sit, sufficiat quasi in transitu attingere, ut statim lector cognoscat, quam alieno ab iis animo jam fuerit.

7. Quas enim alii orthodoxi episcopi experti sunt calamitates temporum fortunaeque vicissitudines, easdem etiam Cyrillus, ex quo episcopus factus est, omnes ipse tulit. In quibus maxime illae, quae ab Acacio ei illatae sunt, injuriae episcopatum ejus turbaverunt. Nam ubi sedem Hierosolymitanam occupavit, contentio ei cum Acacio Caesariensi orta est de principatu honoris<sup>30)</sup>, quem quidem a concilio Nicaeno<sup>31)</sup> ecclesiae Hierosolymitanae adjudicatum Acacius eo magis improbavit, quo minori tenebatur

Cyrilli Constantium laudantis, quam Athanasii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, qui Constantium etiam majoribus quam Cyrillus noster laudibus celebrarunt“. Touttaeus, Ed. Maur. prael. n. 8. cf. Tillemont l. c. p. 182. Schwane l. c. — De veritate vocis ὁμοούσιος in hac epistola nobis occurrentis cf. Toutt. l. c. n. 10. Reischl et Rupp, s. Patris Nostri Cyrilli Hieros. Archiepp. opera quae supersunt omina. Vol. II. Monaci MDCCCLX.

<sup>26)</sup> Cf. Athanas. apol. c. Arian. n. 49 (l. c. p. 167). <sup>27)</sup> Athanas. de syn. n. 13. <sup>28)</sup> Apud Theodoret. V, 9.

<sup>29)</sup> De auctoritate hujus concilii (a. 382) cum Constantinopolitano I generali (a. 381) ad unum fere conjuncti vid. Hefele l. c. II. 38 sq.

<sup>30)</sup> Soz. l. c. IV, 25. Theodoret. l. c. II, 26.

<sup>31)</sup> Conc. Nic. can. 7: Ἐχέτω (sc. ecclesia Hierosolymitana) τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῆς μετροπόλεως (sc. Caesareae) σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιωματός.



hujus concilii reverentia. Quam contentionem mutuae de fide accusationes subsecutae sunt, altero alteri obijciente, quod non recte sentiret de trinitate<sup>32</sup>). Quo factum est, ut Acacius „levibus quibusdam causis“ uteretur ad Cyrillum deponendum<sup>33</sup>); qui Tarsum se contulit ibique hospitio usus est Silvani episcopi<sup>34</sup>). Expulsus „ad majus quidem iudicium provocavit“; cui appellationi quum ipse „imperator adstipularetur“<sup>35</sup>), pro explorato habendum est, Cyrillum non sine aliquo adversarii sui stomacho a concilio Seleuciensi inquisita causa restitutum esse (a. 359)<sup>36</sup>). Sed Acacius nihil quiescens quum animum imperatoris levissima illa re exornata atque exaggerata in Cyrillum maxime commovisset<sup>37</sup>), coacta Constantinopolim synodo inter alia, quae impie egit, hunc deposuit impetravitque ab imperatore, ut exsilio multaretur (a. 360)<sup>38</sup>). Illud autem feliciter ei evenit, ut sublato a. 361 Constantio imperator Julianus qui dicitur apostata non magis pietate quam infesta in ecclesiam voluntate ductus omnes, qui in exsilio essent, episcopi sive catholici sive haeretici ad suas quisque ecclesias ut redirent permitteret<sup>39</sup>).

<sup>32</sup>) Qua de re apud Sozomenum IV, 25 legimus haec: „Ex quo (sc. e contentione de principatu ecclesiarum habita) factum est, ut inimicitias inter se susciperent et accusarent, quod de deo non recte sentirent. Nam et antea uterque eorum in suspicionem venerat, Acacius quidem, quod cum Ario idem sentiret, Cyrillus vero, quod eos sequeretur, qui filium patri similem secundum substantiam asserebant (*τοῖς ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εἰσηγουμένοις ἐπίομενος*)“<sup>32</sup>). Ex quibus verbis colligi posset, Acacium, quum ipse jam purum Arianismum profiteretur, Cyrillo objecisse, quod ex partibus Semiarianorum stetit, qui filium dicebant *ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ*. Sed aliter rem se habere, quum Cyrillus quidem certe inde ab a. 349 Nicaenam de consubstantialitate fidem confiteretur, jam supra probavimus. Ceterum hoc tempore ea inter Acacium et Cyrillum ratio intercedebat, ut Acacius Cyrillo consubstantialitatem tantum objicere posset, similitudinem substantiae non posset. Similitudinem enim substantiae Acacius ipse tum in synodo Antiochena (a. 341. cf. Athanas. de synod. n. 36) tum in epistolis librisque ante concilium Seleuciense editis defendit, quapropter eum, quum ad Arianorum placita postea declinasset (Sozom. IV, 12), Semiariani convicerunt, quod antea similia cum ipsis sensisset (Sozom. IV, 22. cf. Socrat. II, 40). Credibile igitur non est, Acacium Cyrillo similitudinem substantiae crimini dedisse, nisi dixeris, eum similitudinem substantiae unum atque idem cum consubstantialitate habuisse. Quam quidem rationem et auctores notissimae formulae Sirmiensis (a. 357) et alii *ὁμοιούσιον* defensores afferre solebant (cf. Hilar. de synod. n. 79. Philostorg. III, 16. IV, 9, 10, 12), ipsisque catholicae partis principibus vera ac propria hujus vocis vis eadem esse videbatur ac vocis *ὁμοούσιος*. cf. Hilar. de synod. n. 77—80. Athanas. de synod. n. 41. — Quam ob rem Nicephorus Callistus (IX. 46) Sozomeni locum in hunc modum mutavit: „Alter alterum accusavit, quod non recte de deo sentiret. Acacius enim dogmata Ariana praedicabat, Cyrillus vero eos, qui consubstantiali (*ὁμοουσίῳ*) adhaerebant, a principio sequebatur“.

<sup>33</sup>) Theodoret. I. c.: „*Ἀκάκιος μικρὰς τινας εὐρὼν ἀγορὰς κατέειλε τὸν Κύριλλον*“<sup>33</sup>). — Cyrillus enim in publica egestate multitudinis necessario victu carentis oculis in episcopum conversis quum non haberet, quibus opem ferre posset, quendam narat Sozomenus (IV, 25) suo donario amictam cognovisse mulierem scenicam, et quum inquisisset curiosius, unde haberet, deprehendisse, mercatorem ei vendidisse, mercatori autem episcopum. Hanc igitur causam praetexuisse Acacium Cyrilli expellendi. — Itaque sive hac causa usus est Acacius, sive quod Cyrillus iudicium suum subterfugisset (Socrat. II, 40), certe eum deposuit.

<sup>34</sup>) Theodoret. I. c. De Silvano vid. Basil. ep. CCXLIV (al. 82), CCXXIII (al. 79), LXVII (al. 50). Toutt. I. c. Proleg. dissert. I p. 73 sqq. Hefele I. c. p. 712, 119 sqq.

<sup>35</sup>) Socrat. I. c.

<sup>36</sup>) In hoc concilio Cyrillus Acacium in jus vocavit (Socrat. II, 40), Acacius vero, „quo flagrabat in Cyrillum odio“, adversus episcopos, qui Cyrillum in honore habebant, propriam factionem constituit (Epiphan. haer. LXII. c. 23 et 27. Philostorg. IV. c. 12) et „cum iis se concilium initurum negavit, nisi Cyrillus e concilio removeretur. Hic quum non obtemperaret, Acacius relictis illis evasit“<sup>36</sup>). (Theodoret. II, 26.). Quodsi discessit, tamen paulo post rediit jamque Arianam sententiam aperuit, filium patri non secundum substantiam, sed voluntatem tantum similem esse. (Hilar. c. Constant. n. 14.) — Denique Cyrilli causam concilio Seleuciensi probatam fuisse, Acacius ipse prodere mihi videtur, in epistola ad imperatorem missa querens, quod „illo (sc. Cyrillo) assessore et consiliario Seleucienses iudicare et de aliis sententiam ferre conati fuissent“ (Theodoret. II, 27). Cf. Hefele I. c. I. p. 712, 713, 716, 718, 719.

<sup>37</sup>) Theodoret. II, 27.

<sup>38</sup>) Sozom. IV, 25. Philost. V, I. Hefele I. c. p. 725.

<sup>39</sup>) Sozom. V, 5.



Restitutus igitur episcopatum suum placide obtinuisse videtur usque ad a. 367, quo Valens inter ceteros, quos Julianus revocaverat, episcopos etiam Cyrillum denuo in exilium misit, unde reverti non potuit nisi imperatore mortuo (a. 378). Ubinam degerit per undecim hos annos, plane nescimus; iniquissimum autem ecclesiae Hierosolymitanae tempus fuit, quum quidem jam Ariani, Apollinaristae, Pneumatomachi, alii haeretici eam occuparent multisque vulneribus onerarent<sup>40)</sup>. Quapropter Cyrillus Valente mortuo reversus ecclesiam invenit valde perturbatam, cui reformandae per reliquum vitae tempus operam dabat quam maximam. Qua in re a Gregorio Nysseno<sup>41)</sup> a. 380 Hierosolyma profecto adjutus tantum valuit virtute et auctoritate, ut quamquam per sedecim annos exsul episcopus ecclesiae suae res teste Basilio<sup>42)</sup> reddiderit florentes. Ex quo, ut ait Hieronymus<sup>43)</sup>, „episcopatum tenuit inconcussus“ et contigit ei, priusquam vita decederet (a. 386), ut concilium Constantinopolitanum a. 382 habitum, cui cum episcopis Antiocheno et Alexandrino ipse fertur praesedissee<sup>44)</sup>, egregium illud, quod jam supra attulimus, legitimae ordinationis, virtutis, orthodoxiae testimonium ei redderet<sup>45)</sup>.

Et haec quidem haecenus. Si verum est, quod nemo dubitat, ingenuitatis et virtutis certissimam esse regulam in ipsa vita, equidem etiam has quas adumbravi res a Cyrillo pro ecclesia Christi gestas et quas perpessus est calamitates ad illustrandam ejus fidem aptissimas esse censeo.

<sup>40)</sup> Socrat. II, 45. Sozom. IV, 30.

<sup>41)</sup> Greg. Nyss. ep. ad Eusth. et ep. de euntibus Hierosolyma.

<sup>42)</sup> Basil. ep. 4 ad monach. lapsum.

<sup>43)</sup> Catalog. c. 122.

<sup>44)</sup> Cf. Sozom. VII, 7. Socrat. V, 8, 12.

<sup>45)</sup> Martyrologium Romanum ad d. XVIII Mart. habet haec: „Hierosolymis s. Cyrilli episcopi (natis), qui ab Arianis multas fidei causa passus injurias et ab ecclesia sua saepe pulsus tandem sanctitatis gloria clarus in pace quievit, cujus intemeratae fidei synodus oecumenica Damaso scribens praeclarum testimonium dedit“.



## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiasticam mediæ ævi enarrabit simulque antiquitates ecclesiasticas tractabit quotidie hora IX—X.
- II. De arte ecclesiastica disseret semel per hebdomadem hora definienda.
- III. Jus canonicum tradet bis per hebdomadem horis definiendis.

#### Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Theologiam pastorem docebit sexies per hebdomadam hora IX.
- II. De arte catechetica disseret d. Lunæ et Mercurii hora VIII.
- III. Hexaëmeron biblicum interpretabitur hora def.

#### Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- I. De peccato originali et de redemptione generis humani doctrinam exhibebit, quinquies vel sexies p. hebdomadam hora X.
- II. Præmissa introductione vel aliquot prophetæ Jesajæ capita vel selectos psalmos explicabit, bis terve p. hebdomadam hora II.
- III. Linguae hebraicæ grammaticam adjungens exercitationes interpr. docebit, bis terve p. h. hora II.
- IV. Offert scholas vel de carmine Vetere-Saxonico, quod *roû* Heliand nomine inscribitur vel de idiomate Fennico-Hungarico, semel p. h. hora def.

#### Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Introductione in studium theologicum præmissa apologeticam tradet bis terve per hebdomadam hora II.
- II. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros dabit horis definiendis.
- III. S. Pauli utramque ad Corinthios epistolam interpretabitur ter per hebdomadam hora VIII.

#### Lic. Julius Marquardt, P. P. E.

- I. De virtutibus et officiis ad vitam socialem pertinentibus disseret quinquies p. hebdomadam hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet hora def.
- III. Historiam literariam ecclesiæ primævæ continuabit hora def.



## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

**Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. Decanus.**

- I. Inscriptiones selectas interpretabitur ter hebdomade hora IX.
- II. Euripidis Iphigeniam Tauricam enarrabit bis hebdomade hora IX.
- III. Exercitationes philologicas instituet h. d.

**Dr. Laur. Feldt, P. P. O.**

Ob venerandam senectutem nullas lectiones indicavit.

**Dr. Jos. Bender, P. P. O.**

- I. Historiam recentiorem inde ab aetate Ludovici XIV. tradet ter per hebdomadem hora VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebd. h. VIII.
- III. Selecta historiae linguae theodiscae capita tractabit semel per hebd. h. VIII.
- IV. Repetitorium historicum cum exercitationibus criticis instituet h. d.

**Dr. Fried. Michelis, P. P. O.**

Commeatu prorogato lectiones nullas habere perget.

**Dr. Jos. Krause.**

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.,
- II. Logicam et noëticam ter per hebd. hora X.,
- III. Paedagogicem bis per hebd. horis def. docebit.

## Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Praeterea instrumenta, quae ad physicem, mathematicam et astronomiam pertinent, in Lyceo asservantur.



## CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio iudiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei  
Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum  
currentem propositarum promulgatio.

**Ordo Theologorum** pro certamine litterario has proposuerat quaestiones:

- I. Ex instituto Regio: Proponantur et examinentur graviora psalmorum de Messia eiusque regno vaticinia.
- II. Ex stipendio Scheil-Busseano: Demonstratur, quid operae ac studii concilium Lateranense V. ad ecclesiam reformandam contulerit.

De priore quaestione commentatio tradita est Ordini his inscripta verbis: „ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἐγένετο εἰς Χριστόν.“ (Gal. 3, 24).

Huius commentationis scriptor omnium fere locorum quos interpretatus est vim atque argumentum recte perspexit et graviores difficultates exegeticas sano cum iudicio laudabilique cum diligentia enodavit. Elocutio expedita est et intellectu facilis. Itaque praemio constituto dignus iudicandus est autor, quamvis in opusculo desideretur, quod fontes, qui ad vaticinia Messiana adumbranda adhibiti sunt, non accurate plerumque indicantur. Scheda reclusa nomen prodiit

Augustinus Spannenkrebs, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini subiecta est his Geileri a Keisersberg insignita verbis: „Wir seint blint, wir sehen nüt.“

Qui hanc scripsit dissertationem, quamvis tum in argumenti dispositione tum in elocutionis accuracione multa desiderentur, tamen ob diligentiam, qua subsidiis obviis usus non solum ipsa acta concilii discussit, sed etiam cum ecclesiae anterioris decretis haud inconcinne passim comparavit, ut praemio constituto frueretur, Ordo censuit.

Recissa charta innotuit:

Josephus Kolberg, stud. theol.

**Ordo Philosophorum** commilitonibus de praemio Regio certaturis hanc proposuerat quaestionem:

„Henrici III. Episcopi Warmiensis vita et de litterarum terraeque cultu merita ex fontibus vernaculis describantur.“

Una commentatio Ordini oblata est, Thomae Treteri insignita verbis:

„Illi, qui in Sacerdotio constituti, Ecclesiae alicui sunt adscripti . . . .“

Cuius scriptor, iis quae ex fontibus (diplomatibus, chronicis, scriptisque recentium) laudabili cum diligentia congressit circumspecte usus, sermone satis puro et simplici de Henrico III. Praesule de Warmia optime merito exhibuit commentationem, dignam quae praemio constituto ornaretur.

Aperta charta prodiit nomen autoris:

Franc. Fleischer, stud. theol.



Pro certamine litterario in insequentem annum has proponit quaestiones

**Ordo theologorum:**

- I. Ex instituto Regio: De impeccantia Christi disputetur ita, ut non solum quousque ea secundum Ss. Patrum et Doctorum doctrinam extendenda, sed etiam quomodo cum satisfactionis merito reconcilianda sit, explicetur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De disciplina poenitentiae III primis saeculis in ecclesia orientali et occidentali observata.

**Ordo philosophorum** commilitonibus de praemio Regio certaturis hanc proponit quaestionem:

Quid de culpa tragica Sophocles senserit exponatur.

Certantium commentationes sermone latino conscriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii anni MDCCCLXXXI. rectori Lycei tradantur.

Victoribus praemia constituta sunt ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheill-Busseano C marcarum.

Promulgatum in solemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XX. Martii anni MDCCCLXXX.